



# **Justa, sive in D. Imp. Caesaris Ferdinandi P. F. Aug. excessum, subita et fortuita oratio**

<https://hdl.handle.net/1874/9501>

I V S T A,  
S I V E

IN D. IMP. CAE.

SARIS FERDINANDI P. F. AVG.

Excessum, subita & fortuita Oratio, à BA-  
SILIO IOHANNE HEROLD, S. R. Cæ-  
sareæ Maiestatis familiari & Historico, Tri-  
cenalibus, in Oberndorff per Zim-  
brenses Heroes celebra-  
tis, habita.



FRANCOFVRTI, APVD PE-  
trum Fabricium, 1564.

D. OPT. MAX. S.

QVOD DIVINAE PROX-  
MIOR BONITATI, REIP.  
PROCVRAVIT VIVVS BO-  
NVM: IDQ. ORBI MORI-  
ENS IN F. MAXIMILIANO  
ORBIS AMORE PEREN-  
NE RELIQVIT: ET PVBLI-  
CI ET PRIVATI, GRATO  
TESTIMONIO, BONI,

D. IMP. CAES. FERDL-  
NANDO, P. F.  
A V G.

PATRI PATRIAE.

BASILIVS IOHANNES HEROLD

M. H. P. B. D. E. P.

ALBERTO, ORTV ATQ. A-  
NIMO REGIO INCLITO  
Bauarorum Duci,

BASILIVS IOHANNES  
HEROLD S.



DE obitu Soceri tui D. FERDINANDI P. F. AVG.  
nuncium tristissimum xviii. Cal. Sept. accepi,  
ALBERTE Princeps inclite. Statim perturbatio-  
ne quadam animi mihi obrepente, diu inuicem, De-  
uotio, & illa qua mihi conficius sum Infantia mea:  
dum hæc, ut dolorem meum publico dolori, gratulationi publi-  
cæ congratulationem meam coniungerem scripto aliquo testi-  
monio, luaderet: illa uerò, ne explosa, ignominia aliqua luctum  
deinde meum augetet, ut ipse prouiderere adhortaretur: Vicit tan-  
dem tot stimulis excitatus animus, quando Heroes illi sapien-  
tiss. Zymbrenses Comites, indictis Tricenicalibus illis ferijs in  
Oberadorff, iusta soluerent AVGVSTO admodum religiose, viii  
Cal. Sept. Subita itaque hac oratione, quod effudit tunc ui-  
strix pars, dum domui Austriacæ fidem suam probare conatur,  
tibi ALBERTE Princeps inclite, quale quale esset, inscribere, at-  
que statim mittere decreui. idque, quod haud diffiderem, me a-  
pud eos qui tibi necessitudine sunt coniunctiss. te patronum ha-  
biturum fideliss. cum propter amorem quo literas bonas profe-  
queris: tum quod de ijs ipsis, quæ in gloriam nominis tui mo-  
lior, tractandi aliquando & commodiorem & propiorem ita  
mihi occasionem datum iri sperarem. Vale,

Regij ortus & animi Princeps  
inclite.

D. IMP. CAES. FERDINANDI  
P. F. AVG. ORATIO,  
Basilio Iohan. Herold dicente.



**Q**VICVNQVE animum literis bonis applicuerunt unq̄, ij, uiri ornatis. omne studium, omnem operã adhibuêre, ut in ijs tantum proficerent, quantum supercœleste illud donũ inter omnia alia, à Deo illo magno, humano generi dilargita, illud unum magis necessarium & utile agnoscerent atq; uiderent, quàm ad rerum uniuersitatis origines, progressiones & finẽ contemplandum idoneũ esset. Etenim homini inter cœtera, animali ratione prædito, hanc considerationem non solùm propriã esse, uerum etiam eidẽ adeò innasce, inesse & immori, certis argumentis & rationibus, cõfirmatius est, quàm ut refutari possit: qua gratia non defuerunt, qui discipulis suis, institutũ uitę eius, quã felicissimam asseuerabant, tribus tãtum istis syllabis, Qua, quĩ, quo, præscriberent & inculcarent. docebant nanq; his tam paucis perfectam.

Etiam rerū rationem contineri: quandoquidē  
præteriti Principij caussæ, præsentibus actib.  
influētes, ad ab solutionē futuri finis dirigeren-  
tur. Elucere autē illud cōtendunt, in ipso prin-  
cipio, cuius nullum est principium: in effectu,  
qui nullum habet suppositū, in fine eo qui est  
in finitus ab eo namq; principio quod bonum  
est, bona oriri omnia, per effectum eundem  
progressiones fieri in melius, in fine, qui idem  
est, demum uniuersa, bono summo includi.  
Quod intelligens Paulus ille, uas electionis &  
doctor gentiū, τῆ περι θεωρίας φιλοσοφικῶν, afflatu diui-  
no exclamare auditus est: Vnus Deus & pater  
omniū, qui super omnes, & per omnia, in om-  
nibus nobis. Ex ipso siquidem, per ipsum, &  
in ipso sunt omnia. Tale certè donum est, ut  
dixi, ô uiri ornatiss. munus illud literarum bo-  
narum, ut de Deo ipso perfecto, immutabili  
& immortali iudicare rectè homo imperfe-  
ctus, corruptibilis & mortalis, & docere benè  
possit. De Dei autē operibus, quàm certa, quàm  
possit uerè pronuntiare literatus, demonstra-  
tiones eæ ostendunt, quæ de huius pulcherri-

mæ fabricę, cœli uidelicet ornatu, Sole, Luna,  
planetis & alijs innumeris stellis, nempe de  
eorum ortu, influxione, occasuq; habetur ex  
pressæ. item argumenta quæ extant de omni  
sensibili, uegetabili, eorundemq; motu: de  
subsistentibus animaq; carentibus rebus. Hac  
itaq; ornatus excellentia homo, cum cæteris  
antea quoq; naturæ rebus præstet, ea qua est  
præditus ratione, de homine rationali potis-  
simùm, & quæ sint in eo præcipua dijudicare  
eum posse, nemo difficulter credet. quando-  
quidem simili cognoscitur simile, fitq; simili-  
tudo notior, ubi cognitio est efficacior. Proin-  
de nunc rerum omniû authore, sed non sine  
omnium luctu, factum uidemus, uti eos qui  
pollent ingenio, qui literis ualeant, uerba face-  
re necesse sit, de homine, quo à condito orbe  
nullus præfuit Reip. desiderabilior, neq; eius  
amantior: nempe de D. Imp. Cæs. FERDI-  
NANDO P. F. Aug. qui nuper ix Cal. Au-  
gusti diem suum obiit. Quippe cum uniuersus  
Orbis, qui ad tanti uiri exemplum atq; ani-  
mum augustum & pacificum compositus  
erat,

erat, nunc non solum ob dissolutam quorundam, rectore remoto, & suspectam licentiam periclitetur: sed PATRIS PATRIAE illius decessu, luctu quoque & squalore obrutus iaceat merito: cum F. F. F. Aug. ORBIS ille AMOR & moderator D. Imp. Cæs. MAXIMILIANVS P. F. Augustus, & FERDINANDVS Sebastocrator TVRCARVM TERROR, nec non CAROLVS Porphyrogenitus, SPES ALTERA SECLI, Frr. animo ingenti, acerbitatem ex morte genitoris perferant insuperabilem cum CATHARINA. F. cum defensore Reip. Christianæ SIGISMUNDO AVGVSTO marito & Rege Polonorum max. FLAGELLO MOSCOVITARVM, ANNA insuper F. cum coniuge ALBERTO Bauarũ Duce, Heroes regij ortus & animi: MARIA F. cum VVILHELMO Cliuensi Duce, uiro, quo inter summates huius seculi, pietate, artibus pacis & literis nullus illustrior: & ELEONORA F. cum uiro suo Mantuanorũ Duce, inter Italos Principe summo: parentis



rentis & foci obitum, animi max. dolore cō  
querantur. Cum reliquæ Filix Augustales  
quinque, quæ ad Pontes Oeni Fl. educantur,  
plangore & lamentatione iusta, dulciss. geni  
torem prosequantur, uidelicet ipsa **MAG  
DALENA** ut ætate inter eas maior, ita pie  
tate in Deū, in parentes & homines maxima:  
**MARGARITA** omni gemma precio  
fior, non barbara **BARBARA**: **HELE  
NA** Augustæ Cōstantini matri in omnibus  
uirtutibus proxima: & miraculum illud Na  
turæ, eiusq; opificij opus summum & absolu  
tiss. ac ita exercitatū **IOHANNA** illa, quæ  
uix ex utero matris progressa, tenerrima puel  
la ex genitricis dulcissimæ decessu, coacta est  
perferre maximum dolorem: quæ nūc recru  
descensam ex patris obitu, in toto isto choro  
sororum, & diuina puritate, uirginitateque il  
lustrato fidere patriæ salubri, quod totā Pan  
noniam & Noricum omne imò uniuersam  
Germaniam illustrat, splendorem uenustatis  
& decoris tanti obnubere & obscurare non  
nihil, nemo non credat. Cum numerus ne  
potum,

potum, qui hinc inde per Orbem terrarum,  
ad leuamen & in omni humana ærumna dul-  
cifs: quoddã refrigerium nationum, prouin-  
tiarum & regnorũ dispersus colitur, iam ali-  
quid ob aui excessũ, nũc ita animo fractus ui-  
deatur, ut quam dare solet, ipsam consolatio-  
nem uix recipiat. Cum Hispania & Belgica  
Gallia omnis, ceu destituta altero patre, lamẽ  
tetur & illachrimet, P H I L I P V S Nepos,  
C A R O L V S Pronepos Christianæ Reip.  
duo ocelli patrui & propatrui morte, quasi  
caligent, Cum summus Pontifex, Italia diua,  
Venetiæ inter omnes orbis Respublicas con-  
silio stabilis, Gallia olim florens, nunc suis ui-  
ribus accisa et diuaricata uix ferant desiderii  
optimi Augusti, & naturæ illius blandæ,  
conciliatriculæ quidem omnis societatis &  
reconciliationis humanæ, undecunq; immi-  
nebat uel regionis, uel in alijs rebus ambitio-  
sior aliqua concertatio: Cum Europa tota pa-  
cis instauratorẽ defleat: Cum Asiæ pars ma-  
ior ingemiscat, ob otium, quo tanto frueba-  
tur, ab huius tranquillo & pacifico animo,

B      quan-

quantum illi concederetur. Cum Africa salutis sp̄e abijcere, ac quasi de ea desperare iam nunc audiatur, quam sibi ex uiri huius consilijs & auxilijs, nepoti ex fratre semper coniunctis, præsentissimam & persuasivam proposuerat. Cum ea ipsa elementa rerum condolentiam fermè ostendent aliquã: & quãdoquidem in ipsa lætissima ubertate, terra sit astrictior: aer in amœnitate summa, corruptior: aqua & ignis, quàm pro cæli statione, illa nunc efferuescens tumidior, hic obtusior & tepidior multo certè, ut superius admonui, uiri ornatiss. quibus tantus, & communis iste dolor mitigetur, disciplinarum bonarum instituta efficaciora, & ingeniorum uigor requiritur maximus. qui in me cū nullus omnino, aut ad modū exiguus sit, quod ipsum infatiam mea indicat: neq; confidentiæ tamè, neq; impudetiæ aut temeritati meæ dabitur, si uel communi huic, priuatam hanc meam tristitiam coniunxero: uel remota nunc ab omnibus, alias quoque in simili casu nunquam assueta gratulatione, sacratis. Imperatoris excessum prosequar.

Nam.

Nam si ad beneficia respiciam, quæ supra necessitatem meam, ornatui meo dedit, quæ tam ingentia, tam splendida ac multa in me contulit is qui benefacere uniuersitati totæ nunquam destitit, sanctiss. memoriæ noster Imperator, certè Reip. nõ condolere non possum, illachrymari uerò & lamentari iure debeo & possum benè. quòd qua Remp. qua me priuatum complexus fuit, beneuolentiæ fructus unà nobis ablatos considerem. Si uerò animū ad contemplationem & imitationem eius, quam uixit, quamque nunc uiuit, uitæ applicuerimus, potiùs quàm quod necessitati et humanæ conditioni obnitentes, inanem nescio quem luctum adsciscere nobis uelimus: certè in huius uiri ortu, progressionib. in fine ipso omnia apparebunt & bona & læta, subtriste nihil, nihil subamarum. Qua enim melior eius pars, id est spiraculum illud diuinū, & omnium nobilissimo multo nobilior ipsius animus, in corpus ipsius tenerrimum sese diffuderit, non est quòd quis se scire neget: cum apertum sit à diuino intellectu, eoq; unico,

dimanare omnes omnium animos, qui præfertim in hac traduce Gothicæ & Francicæ stirpis (quæ in hoc nostro Imperatore coaluit) semper & ubique sese exeruere mirandæ pulchritudinis. Fallere autem non potest, perfectiori & pulchriori in corpore animum, minus à cōtemplatione pulchri auerti atq; ideo ad idæam supernam se propius uertere posse, quandoquidem illa pulchritudo in corpore, ceu imago quædam, pulchritudinis animalis incitetur & alliciatur, in desiderium pulchritudinis incorporeæ. Ortus itaq; tanti animi, qui nostri fuit Imperatoris, quis est probandus magè, cū & animus pulcher diuinæ pulchritudinis portio sit, & pro naturæ capacitate, etiam corpus reddiderit formosum. Præterea si ortus huius humanus, à nobilitate et uirtute, qua prisci illi homines, quàm nostri temporis, nobiliores æstimantur, censendus erit, quis non uidet, tot regum, tot Imperatorum, tot utriusq; sexus principum (quos inter maiores munerare potest *εὐγενέας*) principium illi dedisse nobilissimum, cum opus et  
uis

uis principij sit, sibi sua reddere quam siimili-  
ma. Hæc nobilitas tanta, ex uirtute orta, cum  
in toto generi uiguerit, semper, atq; in tot æ-  
tates transfusa fuerit, nō solum neque simpli-  
citer ortum pulchrum nostro facit & nobile,  
uerum etiam et bonū, quod antiquius pulchri-  
tudine: haberi enim pulchri, satis nobis est, re-  
uerò & non opinione boni esse cupimus, &  
hoc etiam id ipsum est, quod censores seuerio-  
res petunt & in homine requirunt, nempe, et  
auo & patri atque omnibus maioribus ipsum  
præstare debere bonitate & amore uirtutis,  
Ex uirtute enim bona in hominibus incremē-  
tum capiunt. Accedat nūc & locus qui tertiū  
genus Idæarum perhibetur esse, perennitate  
sua, qua nunquam interit, optimū. Hunc cer-  
te: ex dignitate eius propria, uiri sapientia præ-  
clari semper fecere plurimi. nam in Græcia  
nasci, Athenis procreari, ipse Plato Philoso-  
phorum Deus, Deo tanquam summum do-  
num, atque rem sibi gratis. acceptum refere-  
bat indies, maxima quidem Dei laude & præ-  
conio singulari. Neque defuerunt qui patriã

post Deum omnibus rebus præponere iube-  
bāt. Quoniam igitur ex Archiduce Austriae,  
id est, ex summo post Augustum in orbe Prin-  
cipe, ex uiro Germano, ut talis Imperator pro-  
crearetur in Germania, arcano quodam Dei  
consilio uetabatur: id tamen destinata illa Dei  
uoluntas effecit, ut in Hispania, prouincia bo-  
norum imperatorum fœcundis. uerè Germa-  
nus nasceretur Cæsari. inde enim, & si non  
Germani, nihilominus olim optimi Princi-  
pes, & Augusti sanctis. prodire solebant. qua-  
les fuère Nerua, Traianus, Hadrianus, Anto-  
ninus Pius, M. Antoninus Verus, Theodosij,  
Arcadius & Honorius. De influxione illa cō-  
stellationum, quam quidam Genethliaci in  
natiuitate nostri Imperatoris fœlicissimam  
pronunciarunt, disputandi neque locus, ne-  
que tempus nunc est. ad hoc, homini Chri-  
stiano, satis esse affirmo agnoscere, & firmiter  
illud credere, si quid ulli ex qualicunque crea-  
tura Dei eueniat boni, id ex prima & æui-  
terna causa causari, ex benignitate ipsius, qua  
ante conditum orbem, ut homini bene es-  
set,

set, decreuit proficisci. Licet hæc uel ars,  
uel diuinatio sit: ortum tamen huius nostri  
commendat non parum. Qua igitur, nempe  
ex mente diuina, & ea de caussa ut tanto me-  
lius esset humano generi, cum consideramus  
ortum hunc suum habere initium, profectò  
absque ullo modo cōgratulemur, diuina gra-  
tia tantum illustrato uiro, necesse est. Quî au-  
tē tantū nobis gaudere debeamus, nullus erit  
qui quærat. Licet enim interdū ortu illustria  
degenerassent multum uisa fuerint: in hoc no-  
stro, omnem illā ortus diuini, diuinam indo-  
lem, progressionē & dispositionē uitæ, tantā  
fœlicitatem affecutam fuisse constat, ut in  
qualitate sua præsentī, confirmata & seda-  
ta uitæ bona, magis æternitate censenda,  
quàm mutationi obnoxia unquā æstimanda  
se exhibuerit. Educatio namque, quæ gene-  
ris dignitatem semper illustrat ac beat, huic  
accessit in primis optima, quæ difficultatis  
maioris habetur, quàm ipsa generatio, timo-  
ris & momenti plena. quippe animum fo-  
let adducere in amorem uirtutis & adiun-  
gere bonitati. Demum optima in uirili



ætati amplecti, et ceu artes à teneris imbibitas  
exercere. ultimo uel indolem ipsam meliore  
efficere, expolire, emendare & corrigere. Huius  
autem educatio nihilo inferior fuit ul-  
læ aliæ, quæ unquam celebrari potest disci-  
plinæ, siue Persarū, siue Lacedæmoniorum,  
siue illam Romanorum hac in parte curam  
et diligentiam respiciamus, neque fuit ulla æ-  
tas, bonorum, doctorum & ad institutionem  
sanā magis aptorum uel promptiorum uiro-  
rum prouentu feratior, quam ea ipsa, qua in-  
doles diuina Imperatoris nostri optimi, licet  
in tenerrima adhuc ætate fidem & ipsam di-  
ligentiā præceptorum, propria & ingenita a-  
lacritate stimuloq; boni præuerrere uisa fuit.  
In Dei enim ueri cultu, quis à teneris deuo-  
tior? Veri quis tenacior? sui ipsius uictor et  
domitor quis magis strenuus aut seuerior  
imò contra omnes casus quis obfirmatior? Ex  
emplis quod probem ista, neque eorūdem in-  
uidia, neque aqua quæ mihi effluit nunc pati-  
untur, exhibuit enim adolescēs ea, præstitit iu-  
uenis talia ac tanta, quæ quantus futurus esset  
uir,

apertè demonstrarent: qui demum Reip. ad  
motus, qua eiusdem & sui ipsius bona tracta-  
rit prudentia, palàm est. Cum enim tantæ sit  
facultatis ipsa Prudentia, ut per se fœlicitatem  
hominis efficere possit: quantam illam pute-  
mus fuisse coniunctam nunc, ortus bonitati  
& educationis splendori? certè in malis simi-  
lem illam serpentis, in bonis columbinæ syn-  
ceritati eam permistam, rebus adhibuisse eū  
nouimus, ac ita illam incorruptam à maligni-  
tate conseruasse, à stoliditate, proprietate sua  
simplici eam liberasse, ritè affirmamus & au-  
daciter. Hac itaq; adeptus est regna, imò Orbis  
imperium, cum semetipsum antea haberet,  
teneretq; bona omnia. Tutatus est autè uni-  
uersa, & singula moderatione, & pacis bono  
omnia conseruauit. Compleuit mox uirtutū  
suarum decore & odore bono terrarum or-  
bē, atque adauxit propria fœlicitate suos om-  
nes, quos aliorum dominos fecit. His denique  
usus est ita, ut caperet omnia: quod autem ip-  
sum uel teneret uel caperet, extaret nusquam,  
præsidio atq; munimento uirtutum omniū

C      tempe-

temperantia illa munitus, quæ affectionum animi honestissimarū desideria moderatur, imperfecta & perturbata exterminat, profligatque belluina illa & conficit. Ea factum ergo est, ut noster, quæ legibus concessa, quæ moribus bonis libera, quæ honestatis ratione licerent maximè, complecteretur: non quæ liberent, imò nec ea quæ iusta licentia admitterentur. Magnas tamè res maximis periculis, quod recepit, gessit, & euicit ut laudabile est. ita fortitudinis eius proprium erat, facultate intellectuali immotus permanere, uigore maximo intellectuali actus ingentes perficere, mentis habitu constanti & immutabili omnia aggredi. ita in omni uita fortiter faciebat per se, aut robur suum communicabat & uerbis & factis alijs ad solidum firmumque statum adaptatis: inuicta inde illi strenuitas, honestarum rerum electio, quæ neque labores, neque pericula recusaret bonorum causa, neque mortis horrorem formidaret animi magnitudine: quia nō uitā, sed eius bona semper maximi faciebat.

Nam

Nam et ipsam fortitudinem eam esse sibi ima-  
ginabatur, non quæ timorem moderaretur,  
sed quæ metu omni careret. Eam autem om-  
nem corroborabat, qua sine nulla est, Iusticia.  
nam cum Deum nullo uspiam modo iniustū  
esse agnosceret, sed quàm iustissimum omni  
ex parte: atque eundem in Imperatore imagi-  
nem suã qualitercunque repræsentare, ut in-  
ter homines iustissimus esset satagebat. nam  
ipsam iusticiam & matrem & nutricem cæ-  
terarum uirtutū probè agnoscebat. sine ete-  
nim illa neque prudentem, neque temperan-  
tem, neque fortem ullum quempiam esse cõ-  
tigit. hanc enim quidam harmoniam & con-  
cinnitatē totius animæ uocarūt. habitus nã  
que habet uarios: quos si consideremus, et uti-  
litatē ipsorum ponderare uelimus, uniuersita-  
ti rerum maximè eas conuenire, eisque ne-  
cessariam esse intelligemus. Omnis enim to-  
tius mundi principatus iusto ordine directus  
& institutus, non ne Prudentia uocatur? imò  
prouidētia ipsius Dei, quæ illã optimis tradi-  
tionibus suis ita disposuit, in Rep. nōne Pax

& æquitas nominatur? In re familiari, uiri & uxoris concordia, domi de famulis benigna curatione, famulorum erga patronos reuerentia, nõnne temperatura & moderatio concinna appellatur? In corpore animi, sanitate, perfectione & uigore membrorum, nõquid robur, & firmitas uocitatur? in anima siquidem ipsa est uera sapientia. quæ uerbi & ueritatis mater existit, dum absq; uerbo nihil proloqui possit, & quod extra ueritatem profertur nihil sit. in æternitate autem sola ueritas constat, terra terra est mera: aer uerus aer: aqua pura puta aqua: ignis ignis solidus: tamẽ neque terra, neque aër, neque aqua, neque ignis, nec aliud quicquam ueri est: neque homo quidẽ, quatenus homo, uerus est. Vnus Deus uerus est. Hanc ueritatem dum assequi propriam & integram nequiret, semper tamen eam imaginatione & similitudine expressit, dum bonitatis studio fraudẽ omnẽ exploderet, constantia reuocaret errorem, efficacia impedimentum reprimeret. Hinc ille delictus cupidinum: tam sanus continentia oculorum

lorum & manuum, & tolerantia tã absentiu  
quàm præsentiu rerum, quæ optimarũ rerũ  
cogitationibus nunquã obsistebant, neque di  
ctis neq; factis gloriosis obstrepebant: sed locũ  
faciebant ei parti animosæ, qua & ferebat  
illa, quæ aliorum uel imprudentia uel immo  
destia commissa, aut quæ iniquitate aut men  
dacio, nec non & ira mansuetudinem eius  
ad irã, uel ad ultionem rapere potuissent. cũ  
ab illo quæ rectè facta essent nunquã obscura  
ri, aliorum uel facta uel delicta abscondi non  
posse intelligeret. cum enim actiones propri  
as ut in speculo semper examinaret, ut hone  
stas illas suas ornaret magis, præcipua illi  
erat cura, nec minor, qua aliorum turpes tege  
ret: sed omnium maxima, ne sibi ex cæco sui  
amore, plura tribueret, ex affectu detraheret  
proximo, uel parum quidem: pessimam iudi  
cans scientiã alieni mali, & turpissimam de  
fectus proprii ignorantiam. Dum sese nosse,  
sit illud, quod Deum agnoscere, cuius cogni  
tio Deo ipsi assimilatur: illa autẽ similitudo  
Deo nos dignos facit, & dignos Deo esse est,

nihil Deo indignū committi: sed cogitare res  
diuinas, cogitationes loqui, & locutionē præ  
stare, quæ locutio cū minus fastuosa sit, gesto  
rum nullam quærit inanem gloriam, nullam  
arrogantiam. nam altum sapere, Deo soli cō  
cessum, dum ille quæuis præsumptuosa casti  
get. At quo rapior uiri ornatissimi? Noui, ô  
optimi, noui expectare uos, & animum atten  
dere, quando enumerem, quæ et quanta bene  
ficia Reip. impèderit Imperator noster cōsi  
lio, conatu, & effectu harū uirtutum. Colligi  
te quæso animum, atque expendite ipsi, quan  
ta mihi uestrū omnium sit habenda ratio.  
in primis attentiores hætenus uos habui ad  
ea quæ dico. non abutar uestra patientia: ne  
que eius, quæ mihi maiori impetu diffluit, a  
quæ reliquum, ut notis, ijsq; uulgaribus reb.  
enumerandis effluat, admittam: sed ut recon  
dita huius Imperatoris beatissimi pietate, e  
uidentissimis testimonijs & exēplis absuma  
tur, desidero. Non deerunt sacrosanctæ Ma  
iestati huius Imperatoris, uiri addictis. erunt  
autem per plures doctis. & literati homines,  
qui

qui tanta, tam ingentia, quo pollent ingenio,  
qua me multum ancellunt suauiloquentia &  
dictionis ornatu, explicabūt et celebrabūt, ea  
quæ me uel sermone uel cogitatione assequi  
posse planè ipse despero. Nam cum hic noster  
inter summos omnium seculorum, omniū  
gentium Imperatores, numerandus ueniat,  
Moyfi certè mansuetudine, pietate in Deum  
Dauidi, Salomoni sapientia illum compara-  
bunt, & probabunt argumentis & quibus ua-  
lent admodum subtilioribus demonstratio-  
nibus. Cumque Cyrus ille Persarum rex, ani-  
mi & corporis dotibus illustrissimus, Xeno-  
phontis quidem eius hominis ingeniū & lin-  
guā (qua ipse Musas loqui creditum fuit) ita  
exercuerit & defatigauerit, ut fidem historiæ  
supergressum eum plerique calumnientur:  
quantus igitur labor erit fidē facere de huius  
nostri, quibus in Cyro omnia superauit, uirtu-  
tibus? Erit hic labor, hoc opus erit tuum, uir sa-  
crate & Quinqueecclesiensi apud Hunga-  
ros pontificio præfecte, ô Georgi Draconi-  
ta, quem inter Latinæ linguæ peritiores, sacro  
sancta Maiestas Cæs. & eloquentissimum,



& summum esse pronunciauit, in corona uirorum principum, ac me præfente: quando cōsultabatur, quo ordine imagines illæ æreæ artificij stupendi, omne miraculum exuperanti Mauseolo illo ab Imperatore hoc nostro D.IMP.CAES. MAXIMILIANO, P.F. AVG. auo, apud pōtes Oeni cōdito, in ferēdæ essent. Aut certè acumē & uigorē hoc postulat, rari illius tui ingenij ac ad miraculū usq; excultam illam tuam eloquentiam Georgi Sigismunde Seldi, qua illa ipsa testificatione Augustali, Drafcouitij literatura par uel proximus es, ad collationem autem aliorum supremus. Hic tu Cygneo candore & suauitate præstantis: idemq; doctis. frater à Suanbach Iohannes Andrea, hîc adsis, euge, ostende rogo ijs qui nunc sunt, quiq; futuri erunt, quanta cum Germaniæ, patriæ dulcis. gloria, quanta cum exterorum admiratione et laude omnium, eruditionem. omnem eloquentiã solus exsuperes, campus enim hîc est latissimus, in quo exultare possit illa tua oratio, siue inter laudatissimos Græcorum, siue inter Romanos

manos principes optimos, hunc nostrum numerare uolueris: aut ut meritò fieri debet, ijs omnibus unicū hunc præponere. Quis enim Euagoras uiginti talentū precio ab Isocrate celebrat⁹? quis Agefilaus, à Xenophonte familiaritatis studio dilaudatus? quis Traianus Plutarcho, quis Gratianus Aufonio nūdinatione cōsulatus ita expolitus, nō inferior huic habitus est, aut haberi debet, si officia illa regia contemplantur, quibus tam fuit instructus & fœlix, cultu siquidem diuino, imperio & iudicio? Cū enim optimum ab optimo, summū à summo ut colatur cōueniat: bonus sacerdos ut esset, qui iustis sacrificijs p̄ mentis, Deum opt. & summū cōciliaret sibi & subditis suis, sese atque eos beatos faceret semper, curauit. Non ne ipsius prudentis siquidem ac fortissimi Imperatoris hoc est, quod tyrannorum illas ab Oriente, Septentrione atque Occidēte impressiones, uel cōsilijs tantū repressit suis? aut quo minus ui & impetu euerterent Rēp. Turca immanis, aut Moschus barbarus, aut alius aliquis ciuilibus bellis saginatus caupona-

D tor,

tor, armis suis & auxilijs auertit. Non'ne ea tā longæua pax, quæ memoria hominum nunquam uel florentior uel diuturnior humano generi cōtigit, hoc seculū ut bearet op9 ipsius est? Nonne iudex incorruptus iustitia, legibus & moderatione propria & lege quodammo do uiua, quæ ipsemet fuit, bonū extulit, deprefit malū? Colloquijs, uultu, beneficijs cōferendis quis eo benignior? aspectu moribusq; quis uerēdus magis? odio mali quis grauior, & magis metuēdus? quæ unquā erga aliū populi maior reuerētia, quis amor ardētior uulgi, quā in hūc Imp. grauitas illi9 quā ipsum hostib. terribilē semper reddidit? magnāimitas, quāta fiducia amicos eius impleuit? Nihil in eo humile, sed quæ sceptrū & regnum decerēt omnia. Voluptates illi quæ honestæ, quæ memoratu fuerunt digna facinora: magnitudini imperij pares conatus, in muniendo, ædificando, in succurrendo: æquus in omnibus. His certē morib. ipsius, imperij et aulæ pulchritudo elucebat: quoniā in ea nihil nō optimē gubernatū inueniebatur. Sic imitādo Deum, optimus Imperator Deo char9 fuit, ob idq; omnib. cha

rissimus, quasi res quædã preciosa, peregrina  
ac rara, utpote cœlit9 ad nos profecta, ut nob.  
bene esset. Hæc aut, quod cõtemplatione uir  
tutũ eius penè obliuioni dederã, uiri ornatiss.  
ut sunt maxima, maximis ingenij s & excultif  
simis relinquẽda iam dudũ dixi. Vestrũ aut ad  
esse nonnullos, qui bellis pro Rep. gestis ipsius  
auspicijs interfuere, cũ uideam, sic ex uobis pe  
regrinis qui ordines ductauere, sic ex istis gre  
garijs militib. huius municipij Oberndorff ci  
uibus ipsius maiestatis deuotiss. nec non à fir  
mitudine animi, alacritate, disciplinaq; belli  
ca laudatis, unã uos, ô optimi, uos omnes testes  
adhibeo, quod oculis uestris, quod manu ue  
stra, patriæ imminens excidiũ uidistis & de  
pulistis, tale fuisse, quod Remp. Christianam  
euertisset funditùs, nisi, ne decrimetũ maius  
caperet, sapientia & constantia sua prouidif  
set Imperator noster: quo uno uestro testimo  
nio, sanguine plurimorum qui pro patria oc  
cubuere confirmato, tantũ bellicæ gloriæ ac  
cedere huic nostro puto, et datũ esse existimo,  
quãtũ uel Alexãd. illo, magno orb. prædoni et

tranquillitatis uniuersæ perturbatori: aut Cæ  
sari libertatis patriæ faci & extinctori unquã  
ut tribueretur possibile fuit. Quod si Romu-  
lo eiusq; successoribus regibus, ob conditum  
Romæ regnum, & institutũ, diuinitatis quæ-  
dam opinio accreuit: Si Cofs. Reip. incremẽti  
tanti Imperij immortalis quædã laus tribuitur:  
Si Imperatoribus sese (usque ad Commo-  
dos & Heliogabalos, Gallienos, & monstra at  
que portenta hominum illa) subsequenteribus,  
quæ illis referantur dignæ gratiæ hactenus  
excogitari nequiuerunt, quod iisdẽ quibus hic  
solis cursus coercetur terminis, Imperium  
hoc sacrosanctum extenderint: Si Carolinis,  
quod illud in Germaniam transportarunt ho-  
noricum: Si Othonibus, quod illud illustra-  
runt iam tremendum: Si Frydenrychis, quod  
istud adauxerunt latissimum, tantum debe-  
tur: quid ergo Habsburgij meriti sunt, hac tã-  
ta, tã longæua & uigilanti cura, qua illud nu-  
tans fermè sustinuerunt, & hic noster mole  
sua ruinã minitãs instaurauit atq; erexit? Quid  
ergo, ac ad quid, nempè ad bonum uniuersi-  
tatis,

tatis, huius nostri progressionis omnes cum di-  
rectas fuisse intelligamus, easque nobis omnibus  
utiles fuisse sentiamus, quantae igitur laeticiae,  
quantae suauitatis recordatio illius hominis de  
nobis tanta demeriti, omnibus nobis esse debet?  
Imperatoris nostri mens & anima cum in per-  
petua tranquillitate ac hilaritate acquieuerit, et  
illa uti omnes omni tempore frui possimus,  
uirtutum suarum exemplo, cum nobis modum  
reliquerit: quae haec nostra esset pusillanimi-  
tas, non ferre nos posse frustrationem illam,  
quae a corporeis oculis nostris illum nobis ra-  
puit, quem in imagine potioris hominis ani-  
mi contemplatione omnibus momentis praesentem  
habemus, recolimusque frequentius?  
quandoquidem appetitae rei, quanto remotior  
est, tanto magis crescit eius recordatio & desi-  
derium. Praeterea ipsa natura lugendi termi-  
num praescripsit: meminisseque iubet non solum  
funeris, sed uirtutis relictae. Nihil enim perpe-  
sus est hic noster lachrymis dignum: sed omni  
laude & gratulatione plena edidit & perpe-  
trauit. Quod autem (ut ad illud tandem ueniam)

D iij diuina

diuina ac prædestinata dei uoluntas, atq; ipsa  
 diuinæ indolis eius adpræhensio, in ortu &  
 omni eius progressionem respexit, eò iam trans-  
 gressus est PATER PATRIAE: nempe  
 ad finem illum, cui summum bonum includitur,  
 quod ipsum & principium & finis rerum est om-  
 nium. Huius autem mei dicti rationem forsan  
 petent ij, qui inferioribus istis & humanis for-  
 dibus adhærentes, illud in ore habentes sem-  
 per occinunt, *ἀλλὰ τί γὰρ ἴδεν ὄρασι ἀπέναντι ἐμοὶ ἀποθανομένῳ ὑμῖν  
 διὰ βιωσομένους. ὁπότεροῖσδε ἡμῶν ἐρχοῦνται ἐπὶ ἄμεινον πρᾶγμα, ἀδελφοὶ πάν-  
 τες, πληρῆς τῷ θεῷ* aut illud quod est dissolutissimum  
 obgannunt: Qui de statu defunctorum nos  
 certiores redderet, mortuorum hominum  
 rediisse nullum. Huiusmodi hominibus,  
 qui omni contempto intellectu, uix ratio-  
 nis liberio rem partem retinent, ac sensi-  
 bus sese immergunt totos, non ob id quod  
 digni sint responso, quicquam contradice-  
 rem: nisi simpliciorum animi, horum leui-  
 tate si corrumpantur, Christianæ persuasio-  
 nis discipulis maculam inuri, multos in-  
 terim

terim pios offendi intelligerent. Quapropter dum tribus aut quatuor argumentis impudentiam illorum castigauero, interim uos, ô uiri ornatissimi, iacturam tantulam temporis, animo fertote æquiore: licet uel ea tantum ipsis obijciam, quæ uos ipsi in omni re & scientia multo me exercitiores, & uera esse agnoscitis, & ab omnibus omnium gentium & persuasionum, tam Christianis quàm ethnicis philosophis, & approbata & tractata compertû habetis. Dicant igitur isti Epicuri & Sadduceorum sectatores, Anima quæ uoluptatibus eorû adeò aduersatur, nõne contrà nitendo & pugnando, corpus in pluribus afficit & adfligit? Non negabunt. itaque fateantur & hoc. Molestias autem et afflictiones corpus horrere, ac ab iisdem liberari, summû carnis esse uotum, et ad quod anhelat propositû. Ergo, cum absq; morte (quæ doquidẽ animus omninò immortalis sit) ab ijs liberari nequeat: et per mortẽ corporis molestiæ illæ omnes dissoluantur: ea una ad uotû et ppositû suû peruenire eos posse, necessario sequetur.



sequetur. Sit præterea, ut mortē nihil, & post  
discessum ex uita, defunctis sensum nullum ef-  
se, impia opinione sibi præponant. Continge-  
ret autem ex ipsis uni illorum, etiam regio in  
statu posito, uel unica nox, quæ in somnijs,  
quæ quietem ipsorum interpellarent, uacua  
esset, certè illā omnibus in tota uita propone-  
rent. Ergo Mors illa, sit nox illa, sit somnus il-  
le, ab insomnijs immunis, perpetuus & acce-  
ptus. Ita desiderio illorum nihil amplius ob-  
strepet. Iam uitam sibi præfigant, licet porco-  
quàm homini magis conuenientem: cū tamē  
& ipsa esse perpetua non possit, minus etiā  
ut illis grata sit oportet. Ipsi uerò ob cruciatū,  
quam ex non gratis rebus sentiunt, profectò  
& illa ingrata carere mallent, & quieti esse: ad  
quam tranquillitatem perpetuam autem, in-  
finitam, & suo proprio bono iam desiderabi-  
lem, stulti illi homines, si quanta esset unquā  
agnoscerent, aut eorū aliquis, qui ex uita hac  
discesserunt, si illis redux ad nūciaret, quanta  
defunctos & quæ pax, quies & cōsolatio ma-  
neret: proculdubio ut abrupta hac, quam a-  
gunt,

gunt miserrima uita, quantotius ad aliam pro-  
perarent, nulla ui retineri possent: quia uti  
sunt in rebus corruptibilibus intemperantes,  
ita in immarcescibilibus adipiscendis nullum  
modum adhiberent. At ualeant isti, priusquã  
aquã mihi absorbeam, quam doleo mihi im-  
petu defluere. Quam enim uel ueri, uel mali  
cognitionem reciperent, uel ferrent isti, qui  
malum id iudicant, quod optimã uitam ne-  
cessariò sequitur: id est, quod animum à car-  
cere corporis & uitiorum uinculis absolutũ,  
liberum, ad principium suum nobile, ad finẽ  
suũ optabilẽ euehit. quoniã & ipsa natura, ut  
ad esse bonum, ita quoque ad finem properat  
optimũ. Properem igitur & nos ædere, quæ  
animi diuinis promissionibus confirmati, cer-  
tam testificationem adferunt: & quæ ad finẽ  
optimũ, id est summũ bonum, exemplo nos  
incitant desiderandum. Fretus etiam con-  
scientia bona, agnitione quoq; ortus sui obfir-  
matus, & progressus sui certus, cum D. IMP.  
CAES. FERDINANDVS P. F.  
AVG. intellectum iam suum, intellectu su-

E perno

perno illustratum et rationi ea sensibus præua-  
lere intelligeret tantum, quantum animales  
illas uirtutes in ipso deficere sentiret, quod à  
condito orbe regum nemo, quod Imperato-  
rum nullus, testimonium relinquere uoluit fi-  
nis sui, quod sibi præscriptum habuit, in quo  
extrema omnia, et perfecta felicitatis, uniuersa  
contineretur. Manum ipsius subministram  
uocis proferam, uiri ornatiss. quæ cum thesau-  
rum cordis, quam lingua proximis profert  
illa loco distantibus prodit, testis eorū quæ di-  
co erit locupletissima en manus, En signū. Eri-  
gite animū & aures, ô boni, solebant olim, qui  
de imperio cogitabant, nō tantum pecorum,  
armentorum, ferarum & belluarum: uerum  
etiam grauidarum mulierum & fœtus huma-  
ni nondum æditi, exta rimari: ariolos angus-  
resq; fatigari, horribiles recessus, ac nescio quæ  
onginqua & peregrina oracula consulere, &  
huiusmodi mille scutari abominationes, totis-  
dem etiam ac multo plura execranda sacra ex-  
plorare, cum de diuturnitate & fine eius con-  
sultarent. Hic uerò sanctiss. Imperator, eo ipso  
tem-

tempore, quo ad desideratum iam suum finem, adhuc perparum superesse, foelicitate & praefagio indolis omnium reru gnarae, sentiret de rerum uniuersitate eiusque statu confirmando, omnibus orbis partibus quae optima proposuit, atque quae solida essent consilia communicauit. Ea dum melioribus & sapientioribus uiris per totum imperium, nec non congregationi sacrorum uirorum tam celebri, quae Tridenti, quam a multis annis frequentior nullibi coierat & probanda & reip. Christianae commendanda obtulisset, de eo, quem exspectabat finem sollicitus, inter alia & sacra & recondita arcana, id ad me scribit, latinis uerbis, quae ex fide recitabo, quantum ad hanc nostram orationem confirmandam faciunt. **Auscultate igitur, FIDELIS, DILECTE.** Ad te o sacratissima anima me conuertam, quae ceu Deus in mundo, rerum dux atque praefes fuisti: tua enim benignitate id probatissimum omnibus atque contestatum reddidisti, illam quae tantum probatur in omnibus, uidelicet, animi erga Deum ipsum confidentia,

tantam esse, ut omnia possit, & quæ rogati cō-  
ferunt, a se quatur. Tu enim cum intelligeres  
erga te fide mortalium nullum (absit rogo in-  
uidia dicto) ante me esse, quæ in me non con-  
tulisti? ut enim inter tuos familiares me annu-  
merares, fides mea percognita tibi præstitit:  
ut inter Imperij nobiles me atq; hæredes me-  
os nominares, fides mea perspecta tibi suasit.  
Ut studia & labores meos iuuares stipendijs lar-  
gis, fides mea obtinuit. Et fidei meæ erga te,  
erga Imperium hoc sacrosanctū, erga de cœ-  
lo demissam illam Austriacam progeniem;  
ut perenne testimonium ostendere possem,  
fides ipsa mea, & dilectio tua effecit. Quid enī  
satis dignè de tua erga me dilectione profer-  
re possem? quæ quidem tam certa est, tamq;  
irrefragabilis, dilectionis illius, qua summus il-  
le cœlorum Imperator me amplectitur, tam  
evidens nota? Dum enim corda regū, Rex su-  
pernorum & Deus deorum maximus, in ma-  
nu sua habeat, eaq; dirigat, ut ab illo ipso tan-  
quā summo bono, per te tuiq; similes bonos,  
in eos quib. benè uult, boni sese exoneret gra-  
tia

tia & abundantia, meritò mihi persuadeo & confidenter, ex summi Dei bona illa uoluntate, tua omnia beneficia in me profusa esse. At ignoscite uiri ornatifs. Postulabat illud sacrosanctæ maiestatis benignitas, qua me complexa fuit, ut fermè suspecta quadam iactantia, diuinam ipsius in me liberalitatē commemorarem. nam ut ille inquit, Gloria Dei est cælare uerbum, & gloria regum inuestigare sermone. pergam nunc.

**HIS NON DETERREBOR** (inquit) **CERTE NON FACIAM:**  
**QVIA SCIO ME MORTALEM:**  
De morte nescio qua causa, ut ad me scriberet, ornatifs. uiri, fuit tamē seria tractatio. Hac illa (ut audistis) deterreri se negat fortissimus Imperator, cum tamē mortis metus antiquissimus sit inter omnes timores: imò omnes alios metus propter hunc ipsum timemus. Iulius namq; Cæsar ille dilaudatus, huius sacrosancti Imperij conditor, nōne in sermone illo pridie ante ipsius mortem in cœna nato, timore mortis inopinatam sibi optasse legi-

E iij tur?

tur?at ut exclamat ille, ò curas hominum, ò quantum est in rebus inane, uolētam hic optat sibi mortem, & consequitur eam, at non sine cæde et uulnere, utiq; nõ siccam. cum enī de nulla ipsi alia minor cura fuerit, quàm de morte, neq; de uita illi cura fuit, nam eam cū à prima ætate & popularem et omnibus gratissimam instituerat, ad summã peruenerat, ac sine uirtutum illarum, quibus tantum imperium assequutus esset, frui, id est tranquillitate nouum tunc institutum uitæ amplexus est, & tyrannidem exercere cæpit, quo factum, ut uita illi iniucunda, mors horribilis esset, At noster hic, qua animi celsitudine loquitur: **CERTE** (inquit) **NON FACIAM**, non se admissurum, ut timore mortis in ullo deterreatur iurando cõfirmat. Nostis autem uiri ornatiss. à consecratione, Imperatori nullam esse necessitatem, ut amplius iuret, nisi in causa religionis. Hac itaq; confirmatione, hoc iuramēto, nõne uobis facit fidem de imperterrito eius animo? nõne statuit euidentissimam ratione iusiurandum illius confirmare, dum

dum subinfert: **QVIA SCIO MEMOR-**  
**TALEM.** Non adducam illam de face huma-  
ni generis, & monstro naturę Domitiano im-  
pij assentatoris illius Martialis uocem, qua bel-  
luam Deum facit. atqui acclamationes illas,  
Diue, Sacrate, Inuicte Imperator, Sacrosancta  
Maestas, Numen, Augustale, & alię infinite,  
uel deuotorum uel adulatorum & captato-  
rum uoces: nūquid eę immortalitatis & diui-  
nitatis quandam persuasionem, ac ut sibi de  
se quam de homine aliquid maius sumerent,  
nōnullis insanis tyrannis occasionem dedere  
sępius? Nūquid de longa uita, de firmo et per-  
petuo Imperio Astrologorū pollicitationes,  
& bonorum deuotio uotaque, recordatio eę  
mortalitatis, fęlicitate pręsenti ebrijs aliqui-  
qus, abstulere? profecto sępius isti adulatorū  
(ceu à Poetis in Tragedijs) efficti & mecha-  
jici Dinanissimi, perturbationib. et intempe-  
rie animi impetuosa orbi, cū totius ruina &  
dāno maximo dedere malū tantū, quantum  
boni nobis attulit huius nostri, in moderata  
et gloriosa sua uita de gloriosa morte et beata,  
adfi.



adſidua recordatio, quã ipſam, cū optimè ui-  
xiſſet, conſequutus eſt Dei munere optimã: ea  
que efficit, ut pietatis & prudētis huius recor-  
dationis & inſtituti ſui exemplo optimè uiue  
re poſſimus. **SCIO ETIAM** (inquit)  
**QVOD DIV SENEX AC DEBI-**  
**LIS VIVERE NON POSSVM.**

Sūt priuati homines, qui de ſenectute indies  
cōquerūtur. Sunt Philoſophi, qui ſenectã per  
ſe eſſe morbū autument. In debilitate corpo-  
ris nulla illis alia cura, nulla cogitatio, nullum  
uotū, niſi quo poſſint uires inſtaurari. ad hoc  
Medici exercentur omnes, et defatigantur, ex  
hauriūtur omnia pharmacapolia. imò tam ar-  
dens tam diligens omniū priſtinæ firmitatis  
ſtudium, ingeminatæ uoces & optiones: Vti-  
nã quadraginta ætati tã graui annos demere  
poſſem. Spes deinde illæ confidentes: Adhuc  
decenniū, inquiūt, imò & longius uiuere poſ-  
ſum. poſtremò capues illi, ſilicernia ipſa, iu-  
uentã præteritam ſibi optant, non recufaturi  
ærumnas tot, tot mala perpeſſa: ſede a omnia,  
ſicū ipſa denuò ſibi prouenirent perferenda,  
iucun-

ipsis dulciss. fore, non erubescūt fateri: solūm  
ad id, ut nescio quas uoluptates, quas nequi-  
tias, quarū illis adhuc inhæret recordatio sor-  
dida, perpetrare possent. ô bestias. Alij autem  
sunt & maximi, & opinione sapientiæ uiri ce-  
lebratiss. qui ea ætate, qua noster fuit, tum de-  
mum se uiuere desiderant, cū fructū bene trā-  
factæ uitæ, eoq; suauiss. frui in senio optatiss. iu-  
dicant. Hic uerò noster de ueris mortis & cer-  
tis indicijs lætatur, ob nihil aliud, quàm quòd  
dissolui, cupiat & esse cū Christo. quod quidē  
exprimitur insequentibus uerbis, quæ talia  
sunt: **TANTO MAGIS VIDEO MI-  
HI COGITANDVM DE HOC  
TRANSITV: ET AD ILLVM VT  
ME PRAEPAREM ENITENDVM.**  
Quæ unquā intonuit uox ullius Principis in  
toto orbe, uel magis pia, uel sapientia magis  
pōderosa? Disputat Alexander, isto mūdo de-  
uictō & subiugato, quomodo alterum siue  
philosophorum illos infinitos mundos inua-  
dat, laborib. uigilijs & periculis penetret. Vi-  
ctor quoq; in Macedoniā Græcis Rex admi-  
rabilis & formidolosus redeat. Ex tot myria-  
dum hominum numero, quos in Græciam

F ad-

adduxerat, quod in centum annis ( tam longæ uitæ persuasione dementatus ) Xerxes, nullū sibi superfuturū cū audiret, ingemiscibat ac plorabat anxius, ne illi deforēt, quorum opera Europā subiugaret, mox fuga foeda in Asiæ intima repellēdus. Malè parti Imp. libertatē ut usurparet Cæsar, omnes cogitationes suas ab omnib. alijs rebus auerterat, huic uni intentus, adeò ut absq; omni pudore nefandā illam uocem nō comprimeret: Iusiurandum uno regnandi desiderio infringi posse. Tempus autem me deficiet, priusquam omnium impias et principib. uiris indignas uoces enumerem, quibus incuriā rei omnibus alijs magis necessariæ, id est, præparationis illius ad mortem ostenderunt, & immanitatem illam suam prodidēre. Quapropter nobis nostri huius Imperatoris hæc uox, ex intimis Philosophiæ arcanis deprompta, adeò probanda & commendanda uenit. Ipsa quippè uocabula, quibus dicimus hominem aliquē excessisse, discessisse, obiisse, aut migrasse, graue nihil ostendunt, sed solummodo commutationem aliquam & transitionem denotant. Hæc autē mutatio & transitio Græcis, à quibus Philo-

phia

phia ad nos defluxit, *ἀνάστης* appellatur: quasi illud sonaret eleuationē quandā, *ἀνω εἰς θεόν*, ac ad diuinam sedem exaltationem. Cū quoq; ea ipsa lingua, huius oppositum, generatio uidelicet, *γένηται* dicatur, quasi intelligēda sit *γενέσθαι ἐπὶ γῆν* aliqua & mutatio, quæ in terrā declinet. Ideo cū sanctis. Augustus noster, in hac uita ceu in Theatro præsedisse se sentiret tam diu, quàm operum & rerum in hoc mundo euanescentium spectaculum illi iucundum fuit, ad illum immortalitatis adparatum se transferre parabat, quo spectatores beatissimi efficiuntur. In confesso autē est, uiri ornatissimi, quàm ad tuendā Remp. promptus fuerit semper atque paratiss. ea quoq; ut post discessum ipsius defensa floreret, quàm ad id omnia parauerit accuratiss. **SUCCESSORE AVG. MAXIMILIANO ORBIS AMORE** in Imperio substituto, contra uim Turcarum Hungaria munita, pace Germaniæ ubique pacta: quæ Imperatoria illa negotia, diligentia priuata & boni patrisfamiliās officio illustrauit, distributis nempè inter filios Prouincijs: ijsq; admonitionibus & præceptis Reip. utilis. ipsis quoque saluberrimis, instituit. Amantiss.

quoque commendatione ut aulicum famili-  
tium suum iuuarent atque diligerent, eos ad-  
hortatus: est quibus omnibus ut satisfaceret, ne  
cessaria omnia comparauit & digessit, ne im-  
mortalitatis suæ tantum desiderium, tamq̃;  
propinquus terminus à mortali affectu ullo  
interpolari posset. At audite ô clarissimi, ro-  
go, in ipsa cogitatione mortis, in hoc tãto suo  
desiderio, in tãm negotioso transitu appara-  
tu, quo animo fuerit, quàm composito & col-  
lecto. Cum enim cæteri homines, in migra-  
tionibus suis nec clauum parieti infixum re-  
linquere soleant: quidam festinatione ac pro-  
peratione in condita, multa obliuione trade-  
re: hic noster omnibus abdicatis humanis af-  
fectibus, conditionis suæ non oblitus, qua co-  
gebatur uoluntatem diuinam sequi magis,  
quàm desiderium illud, & appetitum finis il-  
lius, ad quem anhelabat: prorumpit igitur in  
hæc elegantissima & Christiano homini dig-  
nissima uerba:

**VLTRA HAEC AVTEM, IISQ. NON  
OBSTANTIBVS, NECESSE ESSE  
INTELLIGO, DEO OMNIPOTENTI  
ANIMO HAEC DEVOTO COMMEN-  
DARE:**

DARE: NEQ. SI SIBI GRATVM ET AC-  
CEPTVM ERIT, MIHI SALVTIFE-  
RVM, ET AD SALVTEM ANIMAE  
MEAE VTILE, QVOD DIVTIVS VITA  
M EA PROLONGETVR, RECUSA-  
RE ALIQVID. Quanta, bone Deus, quàm  
magna una hac non admodum longa perio-  
do comprehenduntur? Necesitatem qui in  
fine agnoscit, proculdubio in principio et om-  
nibus suis actionib. quanta sit, quanta ue exi-  
gat agnouit. Absoluta autē illa necessitas est,  
quòd Deus est uolens bona, faciens bona, &  
docēs bona: illa autem quæ consequētiae dici-  
tur, propter præcedentē suam causam quòd  
Deus bonus est, & uult ut omnes boni, sui ex-  
emplo & sancti fiamus, etiam necessaria est.  
licet enim humana corrupta sit natura, ea ta-  
men emendata, Deus determinat ut boni bo-  
na operentur. Quoniam uerò neque id quod  
necesse est bonū, ipsi possumus efficere, in eo  
uerò qui nos cōfortat omnia possumus, Om-  
nipotenti iubet noster ut omnia cōmenden-  
tur: non autem eo modo, quo nonnulli solent  
facere, animi desperatione corrupti, qui absq;  
cura, in Deum curam omnem reijciunt aut

fortunæ prosperitati dementate, hoc semper  
in ore ferunt,

Nostros maneat hæc cura nepotes:  
sed ut deuoto animo in Dominum iactemus  
curam nostram, quam ipse ultrò de nobis ha-  
bet, docet noster. animo nanque deuoto, cui  
cum externis rebus nihil omninò cōmune, &  
soli Deo dicatum est & gratum. quod autem  
Deo gratum, idem salutiferum: quæ sunt illi  
accepta, eadem non solum corpori, sed & ani-  
mæ nostræ utilia esse innuit. In eo uerò quòd  
hac uita, si illi prolongetur, id ægrè se laturū  
non esse scribit, elucet ille amor propensus &  
ad omnia parat9, quo ostēdere potest nihil sui  
se gratia fecisse, neq; facere uelle, sed omnia p-  
pter subiectos suos spōte sua fecisse & facere.  
Deum enim cuncta administrantem, imagi-  
nem ueram ueri Principis, in hoc sibi semper  
imitandum proposuit, quem se totum pro  
suis obtulisse & deuouisse compertum est, ex  
sola erga genus humanum dilectione, quæ in  
nobis meritò illam ac summam dilectionem  
excitat, ut uerum Imperatorem nostrum æ-  
ternum, ut eius iustam, dum uiueret adhuc,  
& ueracem imaginem. Augu. Imperato-  
rer

rem redamemur, glorificemur, de eorum  
beatitudine & foelicitate gaudeamus. nā per  
illorū hanc beatitatem, nobis quoq; præpara-  
tur trāquillitas æterna. Huius igitur sacrosan-  
cti Augusti nostri ortu, progressus & finis, ut  
dixi, merā postulāt gratulationē. Luctus nāq;  
q̄ calamitati & dedecori tantū cōuenit, ob idi-  
gitor in animum nobis inducendus nō est, ne  
paruo tempore confirmatus & cicuratus, eti-  
am discipientib. nobis, nunquam nos deseret  
prius quā propter eius indignitatē ridiculos  
nos faceret, aut grauaret suspitione uel inui-  
diæ alicuius, uel <sup>φιλανθρίας</sup>. Nam inuidi animi sit  
oportet, memoriā illam bonorū maximorū,  
quæ potius celebranda nobis esset in nostro  
Augusto, reijcere, & quasi ob non bonā uitā  
mortē malam obijisset, lamentari uelle, falsis  
simaque ita aliqua calumnia optimum Prin-  
cipem apud posteros traducere: cum uiuorū  
nemo sit, qui non optima de ipso fateri coga-  
tur: certè hoc esset subringi, quasi maxima  
ferremus molestia beatitatem, quam adeptus  
fuiisset. Sit sanè, quòd Resp. tota, quòd Liberi  
Augustales ac necessarij omnes, quòd Ordi-  
nes Imperij, atq; inter ipsos. VII. uiri Electo-  
res,



1819216  
res, qui creandi Imperatoris ius habet, quos in  
ter effulget ille Augusti cultor & admirator  
præcipuus DANIEL, Germaniæ Scrinij præ  
fectus, & apud Moguntiam sacrorum rex. quod  
denique orbis totus, ego ipse quoque, non leui affi  
ciamur dolore, eoque admodum iusto, ob bonum  
quo priuati sumus: uniuersos tamen animum  
nos erigere necesse est, atque tristitia minuen  
da, ne nostrum causa, quod tanto bono pri  
uati sumus, & propter propriam utilitatem ma  
gis quam illius causa, lugere uideamur. quod  
quidem pro prætextu seipsum amatis habetur  
& æstimatur. Veteri igitur ac sapienti docu  
mento, bona nob. efficiamus maxima: mala ue  
ro, quam possumus, melius contrahamus. quod  
hoc in luctu & rite & facile fiet, quando quidem  
apud nos constitutum & certum est, in nullo  
D. IMP. CAES. FERDINANDVM  
P. F. AVG. PATRIAE PATREM uer  
sari malo: sed ipsam immortalē gloriā pietate  
et rebus fidelissimè gestis, assequutum, atque beni  
gnitate diuina summum bonum adeptum esse.  
Salue igitur anime diuine: Vale æternum de  
coelo delapsa, ac in coelum relata anima. Salue  
iterum, Vale iterum.

DIXI.